

44 DE DISTINCT. TERRITOR. IMPER. IN CLAVSA CET.

feudaque Imperii, in uestituris expectatiuis vel aliis priuilegiis  
in Principes prouinciae transtulisse, vel superioritatem terri-  
toriale munificentiae Caesareae, defensionis fideliter sibi  
turbulento rerum statu praestitae, pactionum et denique in-  
ueteratae possessionis titulis iustissimis innixam ac munitam  
**confirmasse**; si denique litteras reuersales attulerit, quibus  
opulentiores prouinciarum Ordines Principem pro vero  
suo domino agnouerunt, seque ei subiecerunt, tunc de-  
mum certissime constabit id, quo territorium aliquod clau-  
sum esse cognoscitur, solum Principem immediate Imperio  
subiectum fuisse, reliquos, qui in territorio vixerint, Prin-  
cipis superioritatem agnouisse, ad comitia prouincialia voca-  
tos venisse, nec ab aulae officio aut tempore belli praestan-  
dis seruitiis fuisse immunes.

